



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXIV. Per crucifixum Jesum latro salvatus, ne desperes: sed unus est, ne præsumas, quia gratia non est trahenda in consequentiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO LXIV.

Per crucifixum IESUM latro salvatus est,
ne desperes: sed unus est, ne præsumas.

Domine memento mei. Luc. 23. 42.

I.

Primus, qui inter enormes peccatores de gratia divina ac salute sua desperavit, Cain fraticida fuit, dum ad DEUM dixit: *Major est iniquitas mea; quam ut veniam merear.* Gen. 4. 3. Septuaginta legunt: *Majus delictum meum, quam ut remittatur.* Sed erras o miser, quia in immensum major est Dei clementia. Desperavit & Achitophel, 2 Reg. 17. 22. videns quod non fuisset factum consilium suum, & ne à Davide caperetur, ac quasi proditor rebellisque suspenderetur, ipse sibi laqueo gulam fregit. Desperavit & Judas malè poenitens: *Et projectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Math. 27. 5. Luc. 23. 42. Non sic bonus latro in cruce, non sic: Non, inquam, desperavit, sed potiùs de novo, ubi Christum crucifixum ut Dei Filium agnovit, in ejus cruentis meritis speravit, & quia de peccatis suis propter offensam Dei summè boni, summè dilecti animitus doluit, veniam ac regnum cœlestè impetravit. Plura hic occurrunt pro salute nostra ponderanda.

2. Cùm Isaac Christi Domini figura, tanquam servus mercenarius duceretur ad immolandum, propriis humeris ligna holocausti inter duos juvenes patris servos ad montem Moria (nunc Calvaria) asportavit: *Tulit quoque ligna holocausti,* ut indicaretur Christum piensissimum Redemptorem nostrum bajulaturum sibi crucem inter duos latrones, & inter eosdem cruci suffigendum: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris.* Gen. 22. 6. Math. 27. 38. Ubi observandum, quod non restibus aut funibus (prout sæpiùs sculptores ac pictores solent proponere) fuerint in cruce suspensi, sed ferreis clavis trunco crucis affixi. Unde Sedulius Poëta Christianus & antiquissimus:

Sedulius lib. I.

*Par est pœna trium, sed dispar causa duorum:
Hi mundo sunt quippe rei pro crimine multo;
Huic reus est mundus, salvatus sanguine justo.*

H h 2

3. Quæ-

3. Quæres hic ex quibus indiciis latro bonus (cui Dimas vel Dimas nomen) Christum & hunc crucifixum agnoverit esse Filium Dei & Dominum Regni cœlorum? R. S. Vincentius Ferrerius: *Videns latro qui pendeat in cruce à dextris, quòd Christus oravit pro crucifixoribus, & considerans Christi patientiam, habuit fidem de Christo, & contritionem de peccatis in corde &c.* Unde & alterum suum commilitonem, qui Christum blasphemaverat, corripuit: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es, & nos quidem justè, nam digna factis respicimus; hic verò nihil mali fecit.*
- S. Vincent. Ferr. serm. de Parasc.
- S. Hieron. in Matth.
- Aliam rationem assignat S. Hieronymus, quòd ex signis ac insolitis visis portentis fuerit conversus: *Sole, inquit, fugiente, terrà commotà, saxisque disruptis, & ingruentibus tenebris, unus credidit in Jesum, & priorem negationem sequenti confessione emendavit.*
- S. Vinc. Ferr. serm. de Bono latrone.
- Prædictus S. Vincentius Ferr. etiam hanc assignat causam, quòd latro ille bonus per umbram Christi crucifixi fuerit conversus, tunc videlicet, quando sole gyrante umbra crucis Christi eum contigit; Sic enim umbra S. Petri Ap. sanabat infirmos. Addunt alii, B. Virginem stetitisse mediam inter crucifixum Filium & hunc latronem, atque illi hanc gratiam impetrasse.
- Jo. 6. 44.
- Quidquid sit hac de re, primarius tamen impulsus cognitionis divinitatis Christi in hoc Bono latrone fuit gratia & illuminatio Spiritus Sancti: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Ecce traxit eum Pater, quia dilectissimus Filius pro illo orans in cruce exauditus est pro sua reverentia; unde Apostolus ad Romanos: *Misererebor cui misereor, & misericordiam præstabo cujus misereor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Adverte bene: Peccare quidem potes, sed ex te non poteris resurgere: *Miserentis est Dei.*
- Rom. 9. 16.
4. Venit quidem ille latro bonus in vineam Domini horà primùm undecimà ad laborandum, recepit tamen mercedem suam: *Hodie mecum eris in paradiso*, sed hæc summa gratia fuit, quæ non est trahenda in consequentiam. Duo erant ad latus Christi, unus conversus est, quis non speret? Unus damnatus est, quis non timeat, etiam si sit apud Jesum?
- Luc. 23. 43.
- Omnes quidem currunt, ait Apostolus, *sed unus accipit bravium, sic currite, ut comprehendatis.* Christus Crucifixus positus est in signum, ad quod in hac vita mortali curramus necesse est, quia extra illum nulla nobis speranda salus. Væ illi, qui ab hoc signo declinat; aut aberrat: *Sic currite, ut comprehendatis.* Antesignanus nobis factus est Bonus ille latro, qui primus ad hanc felicissimam appropinquavit metam, & bravium lucratus est: *Hodie mecum eris in paradiso.* O grandis felicitas! Erigete, anime mi, si secutus es errantem, sequere & poenitentem, dum
- I. Cor. 9. 24.
- Luc. 23. 43.

dum adhuc tempus est, quia veniet nox, in qua non poteris amplius operari.

5. Sanctus ille Senex Simeon, qui gratiam habuit Christum infantem in ulnas suas suscipiendi, cujus ætas tunc erat, ut refert Del Rio, centum & trium annorum, Christo non sine piis lacrymis vaticinatus est: *Positus est hic in signum, cui contradicetur*, hoc est in monte Golgatha, ubi omnes inimici Christo infami ligno suspenso contradicebant, & Pater ipse exactam à Filio suo propter peccata nostra requirebat justitiam ac satisfactionem: *Propter scelus populi mei percussi eum*. Ad hoc signum non pervenerunt Apostoli, quia relicto eo omnes fugerunt, excepto S. Joanne; hic autem Latro Apostolorum supplevit defectus, & in cruce ferenda constantissimè usque ad finem permansit, hinc ab ore Veritatis ei promissum fuit & quidem cum juramento: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*. Supra quod egregiè devotissimus Didacus Stella ad nostram doctrinam moralem: *Adverte*, inquit, *quod non promittit regnum; nisi existens in cruce, quia qui non compatitur, non conregnabit; Hodie mecum eris in paradiso; quam plurimi volunt esse cum Christo in paradiso, sed renuunt esse in cruce cum illo*. Fortasse & tu talis es, ô mi Lector?

6. Adam protoparens noster non erubuit se excusare, quòd mandatum Dei violasset, culpam dejiciens in Evam, & Eva in serpentem: *Serpens decepit me, & comedi*: Sic dæmon porrexit illis pomum, & subripuit paradysum, ait Doctor Mellissus; quòd peccatum & nos miseri filii Evæ ac posterì à protoplastis nostris hausimus; excusamus nos, & utinam non sæpius etiam in foro interno, culpam rejicientes in dæmonem, carnem rebellem, amicos, malos socios &c.

Non sic bonus latro, non sic, dum publicè suam culpam confessus est: *Nos digna factis recipimus; hic verò nihil mali fecit*. En habes hic confitentem reum. Petrus Apostolorum Princeps ad unius mulieris vocem contremuit, & Christum negavit. Cæteri discipuli, quasi oves errantes sine pastore, dispersi, spe & fide destituti sunt; amici Christi de longè steterunt; hic verò latro ex nemorum latibulis adveniens amicis fidelior, & discipulis constantior inventus est. O magna fides tua, ô mi Difina! qualem Dominus non invenit in Israël. Creditit Abraham DEO, sed loquenti de cælo; Creditit Moyse sed DEO loquenti de rubo & nube; Creditit & Isaias, sed DEO super thronum excelsum sedenti: Credit & Latro, sed homini miserrimo, toto corpore saucio, pendentem in patibulario ligno ignominiosissimo, quem tamen ut Dei Filium agnovit, adoravit, defendit, & illius innocentiam publicè contestatus est. Verè talem fidem non invenit JESUS in Israël.

S. Chrysoft.
fer. de Bono
latrone.

Taulerus
cap. 43.

7. Christo agonizanti in horto Gethsemani Pater in solatium S. Angelum Michaëlem submitit, qui confortaret eum, in cruce inter summos pendenti dolores nullum submitit, qui morientem consolaretur Filium. Et quare hoc? R. S. Chrysoftomus: *In horto*, inquit, *Christus confortatus fuit ab Angelo, & in cruce à latrone pœnitente*, cujus pœnitentia inagis morienti Redemptori nostro placuit, quàm si Pater plures Angelorum exercitus sibi submitisset ad consolandum. Proinde per-eleganter & optimè devotissimus Taulerus: *Novum hunc fructum*, ait, *& primum botrum*, quem Dominus JESUS ex infœcundo solo nostro, multo sudore, multâque pretiosi sanguinis sui irrigatione in ligno crucis suæ obtinuit, cœlesti Patri suo, ceu pretiosum munus ingenti cum gaudio per Legatos Angelos misit. Quod si gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quæ illic lætitia de hujus est Latronis concepta salute, quam jam propè desperaverant? quanto putamus cum gaudio Pater cœlestis primitias has frugum Passionis Filii sui suscepit? O peccatores omnes, quare in peccatis vestris mori vultis? Ecce ærarium in cruce apertum est, in quo omnes thesauri sunt absconditi; ite cum Bono hoc latrone in animo contrito ac humiliato ad crucifixum JESUM, & invenietis requiem animabus vestris.



CONSIDERATIO LXV.

Christus in cruce pendens peccatores recipit, sed in judicio rejicit. Attende hic Lector prudens.

Quia hic peccatores recipit. Luc. 15. 2.

I.

4. Reg. 6. 6. **E**liseus Propheta per vile lignum ferrum durissimum in aqua Jordanismersum enatare fecit, & ad se mirabiliter attraxit: *Præcidit ergo lignum, & misit illuc: natavitque ferrum.* Christus Dominus plusquàm Eliseus per lignum crucis ad se ferrea peccatorum pectora attraxit, & etiam nùm attrahit, unde dixit: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Audiamus hic S. Augu-